



**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 90. Contentum Brevis S. Pii V. incipientis: Ea est officii, & referuntur
variæ Constitutiones S. Cong. Rituum, approbatæ ab Urb. VIII. Innoc. XII.
in quibus conceditur, quòd Tertiarii possint ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

mentio in præmemoratâ clausulâ Brevis incipientis; *Ecclesia Sc.* quòd Paulus III. pro Sanctis trium Ordinum indulserit; quatenus in his Festis, in casu lati interdicti pro Diœcesi, vel cessationis à Divinis, non comprehendantur Ecclesiæ Trium Ordinum S. FRANCISCI; & quòd Officia Sanctorum ex Tribus Ordinibus aliorumque quorum Cultus est concessus à Sede Apostolica, Tertiariis, & Personis Tertii Statûs recitari possint; modo, quo recitantur à personis aliorum Religiosorum ejusdem Ordinis; de quo plures adsunt concessiones.

XC. **P**rima continetur in Decreto S. Congregationis Rituum, cujus tenor est, ut sequitur. (Supplicavit Religio Tertii Ordinis S. Francisci, concedi; ut de Sanctis Ord. S. FRANCISCI liceat eorum dies festos celebrare cum Officio, & Missa. Et S. Congregatio concessit, ut de Sanctis Ordinis S. FRANCISCI, à Sede tamen Apostolicâ approbatis, in diebus eorum festis, possint per Oratores recitare Officia, & Missas celebrare juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani. 7. Decemb. 1641.]

A. Card. Caponius.

Hieron. Bon. Campagnus Secret.

Invenitur in alio S. Congregationis Decreto 11. Januar. 1642. expedito; in quo idem conceditur pro Sanctis dicti Tertii Ord. de Pœnitentiâ nuncupati, quod in priori Decreto pro Ss. Ord. S. FRANCISCI in communi fuerat ipsis impertitum. Constitutio legi & videri potest apud Litteras *Urbani P. VIII.* in forma Brevis, incipientis: *Salvatoris. Sc.* 18. Januar. 1643. expediti; juxta quarum tenorem Tertiarii Regulares suum Calendarium de Sanctis Tertii Ordinis, & ritu Officiorum ab ipsis observando sub formâ superioris specificatâ formare possunt. De quo etiam habetur Constitutio *Innocentii Papæ XII.*

Vinea Seraphica.

Ex debito Pastoralis Officii. Sc. data Romæ 10. Novemb. 1698. cui subscripsit Joannes Franciscus Card. Alban. nunc Summus Pontifex.

XCI. **I**mponitur denique omnibus, ac singulis personis obedientiæ Ministri Gen. de Observantia subjectis, quales sunt omnes suæ Jurisdictionis Religiosi, & Moniales. Nec non alii ipsius Ministri Generalis directioni subjecti; quales sunt omnes sui Ordinis Tertiarii, ac Confratres; ut frequentationi ac meditationi gressuum viæ Crucis (vulgò Calvariæ) devotè incumbant, stationemque sanctissimi Sacramenti piè in dicto exercitio recitent: ut mediâ hac Commutatione diligentiarum [visitationis locorum, Urbis, & Civitatis Jerosolymitanæ] illas Indulgentias lucrari possint: quæ ibi pro omnibus Fidelibus, dicta Loca visitantibus, concessæ, nec revocatæ reperiuntur. Pro quâ devotione alia Renovatio omnium Indulgentiarum ipsi concessarum: quas D. N. *Innocentius XI.* (ut legitur in Statutis Provinciæ S. Petri de Alcantara Regni Neapolitani; auctoritate ipsiusmet Pontificis dispositis, & approbatis) largiri dignatus est.

Continetur in prædicto Brevi executivo, cujus initium: *Exponi nobis. Sc.* aliud ejusdem sanctissimi D. N. *Innocentii XI.* sub iisdem verbis incipiens, sub 10. Septemb. 1686. datum; in quo confirmantur aliæ litteræ *Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII.* per quas privilegia, gratiæ, favores, Indulgentiæ, & Indulta FF. Minoribus, ac Personis utriusque sexûs, obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis de Obs. subjectis, tam per immediatam concessionem impertita, & impertienda; quàm per Communicationem inter se, ac cum aliis Ordinibus, Confraternitatibus, & Societatibus, etiam Societatis JESU obtenta, & obtinenda, de novo erant confirmata, &

O

con-